

Jubilaei Indulgentias contem-
plantes
Pontifici pro-
ponit.

rum Apostolorum auctoritate confisi, eisdem utriusque sexus fidelibus, qui in anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto, incipiendo a primis vespereis Vigiliis Nativitatis Domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, & ut sequitur finiendo, ac deinceps de viginti quinque annis in viginti quinque annos Basilicas, & Ecclesias antedictas alias juxta ordinationem eorumdem predecessorum devote vilitaverint, ut praefertur, plenissimam peccatorum suorum omnium veniam largimur.

§. 8. Attendant igitur universi fideles, qui ad rationem perspicuae veritatis attingere quaerunt, ac in scatera cordis iusto libramine ponderent suorum sarcinam peccatorum, & quam graviter se reos constituerint erga ipsum Redemptorem piissimum, divinam contra se clementiam provocando. Debitorum suorum etiam relegant memoriale, atque animo repetant hujus defluentis saeculi cursum ad exitum continuo properare, & inexorabilem legem mortis absque ullius exceptionis beneficio omnibus esse indictam, quae sine personarum dignitatumque delectu cunctos reddit equales, nihilque esse in quo vanam hujus mundi gloriam manibus extollamus titulis, dum nascenti dies mortis indicitur, ac per tacitos, fallentesque decursus hujus vite mortalitas ad extremum diem fugaci temporis mobilitate raptatur. Provide deinde considerent tremendi iudicii diem, in qua omnium, quae in corpore gessimus, & five bonum fuerit, five malum, reddituri erimus rationem, & absque provocationis effectu quisque propriam mercedem accipiet, aut aeterna beatitudinis praemia, aut mortis perpetuae, & damnationis aeternae supplicia, quibus secunda mors finem imponere, aut ea mitigare nequibit: & tandem cum ita sit, nihilque habeat humana mortalitas quod bonorum omnium largitori digne retribuere possit (cum nullum in se bonum inveniat, quod non sit ei liberaliter a Deo collocatum) ut mortis hujus, & damnationis detrimenta evitent, his atque aliis meritorum operibus peccata sua omni ex parte studeant expiare, ut saltem per haec media, atque remissionum, & indulgentiarum largitionem hujusmodi, quibus Christicolae omnes veluti data manu ad salutem perpetuam invitamus, ac sanctorum meritis, & intercessionibus adiuti, ad aeternam mereamur beatitudinem pervenire. Suscipiant etiam cuncti Fidei Catholicae professores patris monita, & intuita salutis, atque praecipua cum exultatione ad preparandum iter sibi ad gloriam sempiternam has remissionum, ac indulgentiarum gratias uberissimas, quas nos illarum dispensatores indigni, tamquam Jesu Christi Vicarius, de sacrosancta Romanae Ecclesiae thesauris exhibemus, ut ipsorum animas ab hostis teterrimi potestate ereptas, immortalis Deo Creatori nostro, sicuti supremis desideramus affectibus, exhibere, & nos cum eis superna beatitudine perfrui valeamus. Amen.

Nulli ergo, &c.
Si quis autem, &c.
Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno a Nativitate ejusdem Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo, tertio decimo Kalendas Maii Pontificatus nostri anno VI.

X.

Conficiendi, benedicendi, & consecrandi Agnus Dei vulgariter nuncupatos Romano dumtaxat Pontifici potestatem reservat.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

Immoderata perverforum cupiditas ne sciens abstinere a vetitis, & inordinatis affectibus legem imponere, rationis digne praesidentis officium ad executionem justitiae excitat, ut praesumptorum cohibeatur audacia, & ipsorum coherctio cedat Religionis in exemplum.

§. 1. Horum igitur consideratione inducitur, & ne de rebus sacris, aut Deo dicatis ad devotionem, & salutem credentium Sanctorum Patrum ordinatione provida institutis, & pro impetranda venia ac peccatorum macula abstergenda inventis lucra causa fiat commercium, aut passim ut prophana traudentur, universis & singulis cujuscumque status, vel conditionis fuerint, Ecclesiasticis, saecularibusque personis auctoritate Apostolica tenore praesentium districtius inhibemus, ne aliquas cereas formas innocentissimi agni imagine figuratas, quas Agnus Dei communis usus appellat, & Romano tantum Pontifici pro summa potestate arbitrio illas conficere, benedicere, consecrare, & cum devotione poscentibus pro remissione peccaminum largiri licet, ut Christiani fideles per ejus tactum & usum inter cetera invitentur ad Dei laudes, ab incendio, atque naufragio liberentur, procella quoque, turbinum fulgura, grandines, tempestates, & omne malignum molimen procul ab eis pellantur, praegnantibus absque partus periculo conserventur, quovis modo, etiam auro, argento, vel aliis thecis inclusas, consecratas, aut temeritate propria consecras per se, vel alium, seu alios, publice vel occulte vendere, aut distrahere, seu permutare praesumant.

§. 2. Si quis autem contra inhibitionem nostram hujusmodi temere venire praesumpserit, sententiam excommunicationis incurrat, et si clericus fuerit, omnibus, quae obtinuerit, Beneficiis, & officiis Ecclesiasticis privatus erit, & nihilominus Laicus quoties id fecerit, per annum carceri mancipetur ob tanti facinoris ultionem.

§. 3. Volumus autem, quod si, qui cereas imagines, sive Agnos Dei confectos

D. P. An. 6.
19. Aprilis.

Exordium.

Constitutio de qua in Rubrica.

Cereae hujusmodi virtutes.

Poenae contra inobedientes.

Qui cereas hujusmodi ab aliis consecras tenent, cui debeant religere.

nos hujusmodi apud se habuerint, infra octo dierum spatium a prohibitionis praesentium computandum illos Venerabili Fratri nostro Nicolao Episcopo Pharenfi consignare teneantur, recepturi pro cera aequivalentem compensam, vel satisfactionem condignam, alioquin sententias & poenas praedictas ipso termino elapso incurrant.

Clausula.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae inhibitionis, & voluntatis infringere &c.

Dat. die 21. Martii 1470. An. IV.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo septuagesimo, duodecimo Kalendas Aprilis Pontificatus nostri anno sexto.

SIXTUS QUARTUS
PAPA CCXIV.

ANNO DOMINI MCCCCLXXI.



SIXTUS IV. antea Franciscus Roboreus patria Savonensis ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisci, S. R. E. Presbyter Cardinalis Tituli S. Petri ad Vincula electus est in Romanum Pontificem die 9. Augusti 1471. & die 25. ejusdem S. Bartholomaeo sacro (a) pontificali coronatur Thiaia. Sedit in B. Petri Sede annos XIII. dies IV. & octo promotionibus XXXIV. creavit Cardinales temporibus Friderici III. Imperatoris. Tom. III. Par. III.

(a) Ita Inscriptura in suo Diario.

ratoris. Obiit die 13. Augusti 1484. & sepultus est in Basilica S. Petri. Vacavit Sedes dies XV. (b)

I.

Privilegia Theaurarii, & Clericorum Rev. Camerae Apostolicae, suorum Nepotum, & familiarium.

De his habes sup. Const. Eug. IV. Inter, & Const. Callist. III. Quae laudabili.

SIXTUS PAPA IV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dispositione divina, quamvis immeriti Gregori Dominico, & Ecclesiastico statui Praesidentes, inter nostri officii curas multiplices nobis imminentes, Romanae Curiae, & Apostolicae Sedis officialium status, regimen, & gubernatio, nostrum sollicitat animum, ut recte, salubriter, & bene disponantur, praesertim dilectorum filiorum familiarium nostrorum Camerae Apostolicae Clericorum, quibus nostra & Apostolica Camerae negotia, ac Fiscus Apostolice officii cura, & sollicitudo non parva incumbit, nobisque, & Apostolicae Sedi in illis pertractandis solerti diligentia & indefesso animo, summaque cum fidelitate, & continuo labore deserviunt, ut ea, quae in illorum, & eorumdem officii ordinationem, statum, favorem, & augmentum, a Rom. Pontifice praecipue Eugenio Quarto, Nicolao Quinto, & Callisto Tertio, predecessoribus nostris, iuste processisse comperimus, per nostri partes ministerii jugiter invalescant, perpetuamque suscipiant Apostolicae Auctoritatis & roboris firmitatem.

§. 1. Dudum siquidem Callistus III. Praedecessor noster praedictus, nonnullas ordinationes, statuta, & concessiones regimen dicti officii, & personarum ejusdem concernentes per praedictos Eugenium IV. & Nicolaum V. Romanos Pontifices, facta & edita &c.

Reliquum emittitur, quia ipse Bullae Eugenii & Callisti sunt supra, in locis indicat in rubrica, & Bulla Nicolai V. relata est in ea Callisti III.

§. 2. Nos igitur Praedecessorum praedictorum, praecipue Callisti III. in hac parte vestigiis inhaerentes, eisdem Theaurarium, & singulos Camerae Apostolicae Clericos numerarios, & participantes, ob ipsorum spectatam fidem, & integritatem, accuratamque diligentiam, sedulam sollicitudinem, in nostris, & Romanae Ecclesiae negotiis, non minori, quam dicti praedecessoris nostri gratiae, & favoris benignitate prosequentes, proprio motu, non ad ipsorum, vel alterius nobis pro eis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex nostra

Proemium.

Eng. IV. Nic. V. & Callist. III. statuerunt multa circa regimen Camerae.

Hic modo Pontifex illas bullas cogitavit.

R. 2

(b) Exclusis extremis.

Suosque familiares & veros Cappellanos Sedis Apostolicę esse declarat. Theaurarium & Clericos d. Camera.

fra scientia, supradictas literas Apostolicas Callisti III. Eugenii IV. & Nicolai V. quorum mentio in his habetur, & omnia & singula in eis contenta confirmamus, & approbamus, ac presentis scripti patrocinio communitus, suppletentes omnes defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem.

§.3. Et insuper Theaurarium, & singulos septem Clericos ipsos, presentes & futuros, nostros & Sedis prefate veros Cappellanos, ac etiam veros nostros familiares, & continuos commensales esse, haberi, teneri, & reputari debere decernimus, & declaramus, quos & eorum quemlibet numero aliorum quorundam familiarium nostrorum etiam, in certo libro Cancellarię Apostolicę de nostro mandato scriptorum, sive describendorum, tam in affectu beneficiorum, seu eorum gratis, expectativis, earumque revalidationibus, extensionibus, mutationibus, restitutionibus pro tempore eis a nobis motu proprio, vel alias concessis, vel concedendis, quam alias omnibus, & singulis, illisque prorsus similibus privilegiis, antelationibus, prerogativis, exceptionibus, & declarationibus, decretis, statutis, relationibus, favoribus, & indultis utantur, & gaudent, sive uti, & gaudere poterunt in futurum, uti, potiri, & gaudere posse, & debere, quos pro veris familiaribus descriptis, sive describendis in libro predicto haberi, ac omnes & singulas concessionibus quibusvis personis per nos factas, & faciendas de prerogativis familiarium nostrorum descriptorum, sine illorum prejudicio, in eisdem concessionibus apponi solitis adijcimus, ad ipsos Theaurarium & Clericos, quam ad alios familiares descriptos, & eorum prejudicium referri, motu et scientia predictis volumus, decernimus, et declaramus.

Expeditiones Camerae & Cancellarię pro eis, & eorum nepotibus ac familiaribus gratis dare precipit.

§.4. Ac etiam, ut Theaurarius, et Clerici antedicti, qui in revidendis, et in iudicandis literis Apostolicis, quę ad Apostolicam Cameram deferuntur, assiduo labore exercent, ad instar aliorum officialium Romanę Curię circa literarum earumdem expeditionem laborantium, decorentur, quod de cetero literę Apostolicę ipsos Theaurarium et Clericos, presentes, et futuros, numerarios et participantes, eorumque nepotes et familiares, tam circa gratiam, quam iustitiam, quomodolibet concernentes, quę per Cancellariam, aut Cameram Apostolicam, pro tempore expediri contingit, gratis ubique, et sine aliqua solutione, etiam Abbreviatorum, Scriptorum, ac plumbi et registri, necnon Secretariorum, aliorumque officialium quorumlibet, expediantur et expediri debeant, prout Scriptorum ipsi Apostolici obtinuerunt gratis, concedimus et indulgemus. Mandantes Rescribendario, et Computatoribus, Abbreviatoribus, Scriptoribus et registri Magistris, et Secretariis nostris, aliorumque quorumlibet officialium Romanę Curię

presidentibus, et emolumentorum eorum exactoribus et collectoribus, ne quid pro dictis literis, prefatis Theaurario et Clericis Camerae participantibus, et eorum nepotibus, et familiaribus, duobus pro eorum quolibet, petere vel exigere sub excommunicationis pena si contrafecerint, incurrenda, audeant vel presument.

§.5. Committentes et districtius injungentes dilecto filio S. R. E. Vicecancellario pro tempore existenti, ac Venerabili fratri nostro Latino Episcopo Tusculano, S. R. E. Cardinali Camerario nostro, eorumque in dictis officiis successoribus, presentibus, et futuris, ut ipsos Theaurarium et Clericos, eorumque nepotes, et familiares, in nostri indulti, et concessionis hujusmodi pacifica possessione confoveant, defendant, atque conservent, et illo uti libere et gaudere faciant, atque curent; non permittendo contra illius vim, seriem, atque formam, eos, a quoquam quavis auctoritate et dignitate fuffulto, impeti, vel molestari.

Nulli ergo etc. Datum Romę Anno MCCCCLXXII. decimosexto Kal. Februarii Pontificatus nostri Anno primo.

Executores hujus Bullę deputat.

D. P. A. I. 17 Januarii.

II.

Reductio Auditorum Rotę Romanę ad numerum duodecim.

De qualitatibus autem, munere & examine Auditorum, & aliis eorum materiis concernentibus, vide sup. Constitut. Martini V. In Apostolicę.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontificis indefessa sollicitudo, nihil preterit inordinatum, sed omnia suo pastoralis commissa officio, sicut in Domino conspicit expedire, certa lege, ac limite concludit, ad eaque maxime animadvertit, quę sui Apostolici Palatii domesticam respiciunt venustatem, admonente Propheta; Domine dilexi decorem domus tuę.

§.1. Hinc est, quod si dilectorum filiorum ejusdem Palatii causarum Auditorum peculiare Collegium, doctrina et integritate ceteris prestant, certo clauderetur numero personarum, majori decore fulgeret, immorarentur litigatorum dispendia, facilliorque foret exitus causarum.

§.2. Nos igitur qui etiam multitudine confusionem suboriri didicimus, provide attendentes, omnem dicti Collegii, et Auditorii nostri moderationem, atque ornatum ad nostrę sanctę Sedis Apostolicę gloriam conferre, Motu proprio, ex certa scientia, hac irrefragabili constitutione perpetuo valitura auctoritate Apostolica

Exordium.

Causa hujus reductionis.

Reductio Auditorum ad duodecim.

Prohibitio excedendi numerum.

Auditores examinentur coram Vicecancellario.

Eorum officium non vacat per promotionem.

folica statuimus et ordinamus, quod dictorum Auditorum, et Locumtenentium eorumdem numerus, qui ad presens quatuordecim esse perhibetur, de cetero duodenarius dumtaxat existat. Quodque si qui supra statutum numerum, ex dilectis filiis Magistris, Gaspare de Zerano Decano Rotę, Joanne de Cosa Episcopo Calaguritanen. Locumtenente, Ludovico de Ludovisis, Joanne de Caetanis, Joanne de Caferinis, Antonio de Grassis, Fantino de Valle, Joanne Franciscio Pavino, Mattheo de Porta, Nicolao de Ubaldis, Gabriele de Contarenis, Bartholomeo de Bellenupis, Nicolao de Edam, Petro de Ferrera, modernis causarum dicti Palatii Auditoribus & Locumtenentibus tales esse desierint, officia sua hujusmodi deficiant in seipsis, extincta penitus sint, & esse censentur, illisque aut eorum alteri aggregari nemo possit, neque valeat.

§.3. Nullusque omnino ultra prefinitum numerum duodenarium quarumcumque literarum, aut mandatorum Apostolicorum vigore hactenus concessorum, & deinceps forsitan concedendorum, sub quavis verborum forma, etiam censuras, ac alias penas ipso facto irrogantium, etiam si ad illorum presentationem sit procellum, ac dicto numero duodenario, motu scientia, & auctoritate similibus derogantium, etiam si illis de individuo presentis statuti, & ordinationis nostre tenore specialis, & expressa, non autem per generales clausulas derogatio, motu, & scientia similibus fiat, quas & que preter & contra mentem nostram, & utilitatem publicam, & litigantium precipue pauperum relevamen emanasse, & in posterum emanare, tenore presentium declaramus, deinceps admittatur, vel admitti possit, seu debeat quoquo modo, donec Collegium ipsum ad duodenarium numerum reductum sit.

§.4. Nec etiam numero predicto diminuto, durante absentia Venerabilis Fratris nostri Roderici Episcopi Albanensis, S. R. E. Vicecancellarii ad Hispaniarum regna de latere Legati, coram quo, & pro tempore existente ejusdem Ecclesię Vicecancellario tantum, & non alias, Auditores ad ipsum officium de cetero admittendos, examinandos fore. Pre-nominatosque & alios, infra predictum statutum numerum existentes Auditores causarum dicti Palatii, ad recipiendum vel admittendum quempiam, nisi numero ut premititur redacto, diminuto, & examine facto juxta morem in presentia predicti Roderici, ac pro tempore existentis prefate Ecclesię Vicecancellarii non teneri, nec propterea aliqua Ecclesiastica censura, seu penis aliis, quas pro infectis haberi volumus, arctari posse decernimus.

§.5. Nostrę tamen intentionis non existit, quoad Auditores illos, quos forsitan pro tempore promoveri contigerit, quo minus in dicto Collegio & Auditorio perseverent & maneant tamquam Locumtenentes, aliquid innovare, preter id quod ha-

tenus receptum existit, & laudabiliter observatum. Decernentes irritum & inane, quicquid a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicę Millefimo quadringentesimo septuagesimo secundo, pridie Idus Maii, Pontificatus nostri Anno primo.

Dat. P. A. I. die 14. Maii.

III.

Ex Regest. in Archiv. Vat.

Contra Simoniacos dantes, vel recipientes munera pro sacris conferendis, vel suscipiendis Ordinibus, Dignitatibus, vel aliis Ecclesiasticis Beneficiis excommunicationis, aliasque penas statuit.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. Perniciosam, aut verius detestabilem Simonie labem, quam veluti morbum pestiferum, & saluti credentium penitus inimicum, utriusque Testamenti pagina, & juris utriusque auctoritas plurimum detestantur ac puniunt, & ejus comparatione juxta Beati Gregorii sententiam impia Macedonii hęresis tolerabilior & quasi cetera crimina pro nihilo reputantur, quemadmodum fame: Predecessores nostri Romani Pontifices, qui fuerunt pro tempore, tota mentis acie, omnique studio, ac solertissima cura exterminare, horrendique hujus sceleris patratores, & huic infidelitatis perdicioni, quamvis fidem, quam negligunt, tenere videantur, se damnabiliter polluentes, formidabilibus censuris, & penis punire curarunt, ita quoque nos ipsorum in Apostolatus apice, licet insufficientibus meritis successores, eam nostro potissimum tempore a Romana Curia, & cunctis fidelium regionibus penitus eliminare cupientes, per hanc nostram Constitutionem perpetuę valituram statuimus, & ordinamus, quod omnes, & singuli, qui pro sacris, sive aliis conferendis vel suscipiendis ordinibus, aut Dignitatibus Personatum, administrationum, officiorum, vel Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque collatione, provisione, presentatione, electione, postulatione, translatione, confirmatione, & affectuione Simonie labem committere presumpserint, cujuscumque dignitatis, status, gradus, vel conditionis fuerint, illas prorsus excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliasque sententias, censuras, & penas ab eisdem Predecessoribus nostris in Simoniacos per Constitutiones, statuta, & ordinationes ipsorum hactenus promulgatas ipso facto incurrant.

§.2. Et nihilominus per electiones, postulationes, confirmationes, provisiones,

Predecessores Pontifices Si nomicos censuris damnarunt.

Eorum Constitutiones super hoc confirmat Sixtus.

1472. Et Simoniacos nulliter Beneficia obtinuisse, eorumque fructus percipere non posse declarat.

Clause.

Dat. die 22. Maii 1472. An. 1.

nes, seu quascumque alias dispositiones, quas in antea simoniace fieri contigerit, & quas viribus omnino carere decernimus, in Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Personatibus, Officiis, & Beneficiis quibuscumque nullum cuiquam jus quomodolibet acquiratur, neque faciat quisquam alias fructus suos, ad quorum integram restitutionem volumus esse adstrictos.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, ordinationis, Constitutionis, & voluntatis infringere &c.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, undecimo Kalendas Junii, Pontificatus nostri anno primo.

I V.

Quod festum S. Francisci Ordinis Fratrum Minorum institutoris, ut duplex ab omnibus celebretur, ab omnique opere servili abstineatur, ac sub observantia, & precepto.

B. Franciscus tres Ordines instituit, ut notavi sup. ad Constit. Hon. III. Solet ubi plene de eis dixi. Et deinde a Greg. IX. Sanctorum Catalogo adscriptus extitit ut sup. in ejus Constit. 2. Mira. Et Sigmaria D. N. Jesu Christi in corpore suo portavit, ut idem Greg. declaravit in alia ejus Constit. 12. Constit. 12.

SIXTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Præclara Sanctorum merita, & grandia virtutum insignia, quibus radiantibus in firmamento sideribus, Sacrosancta illustratur Ecclesia, ac supra petram stabilita firmissima Sanctorum irradiatur splendoribus, & novæ prolis instaurata præsidio, incrementum suscipit, & fulgorem, eo frequentius debent universi fideles congrua devotione recolere, reverentia, ac digna reminiscencia celebrare solemniter collabentibus sæculis.

S. Franciscus Ordinem Fratrum Minorum instituit.

§. 1. Sed cum prædicta facienda, fidei catholica fervor plurimum tepuisset, decus ille morum, Deoque acceptissimus pauperum Patriarcha Franciscus, ad salvandas animas ipsius Salvatoris nostri pretioso cruore redemptas, aberrantem fidelium plebem, ad salutis opera excitandam, erudiendamque & suo reintegrandam auctori, ordinatione superna destinatus, inter admiranda ipsius opera, Spiritu paraclito inspirante, novam fratrum Minorum religionem sacram, ad Dei laudem & gloriam, militantis Ecclesie decorem ac populi Christiani profectum in agro dominico tempore opportuno plantavit, instituit, & supra Petram, quæ Christus est perpetuo stabilivit, ut præcipua virorum insigni sanctimonia, moribus, scientia atque virtutibus prædiorum, fecunditate & numerositate exu-

berans, fructuosos palmites ex vite vera produceret, qui Christi vexillum per Orbem universum vehere, nomen quod est super omne nomen cunctis gentibus prædicare, salutaribus insuper monitis, exhortationibus & exemplis diabolica fraude deceptos Deo lucrifacere, & a maligni hostis servitute eripere, studio indefesso contenderent.

§. 2. Quemadmodum hoc ipsius incliti patris germina, & vestigiorum ejus providi sectatores benedicente Altissimo multiplici in domo Domini, & gratis perfusi cœlestibus, longe lateque universas nationes mortalium penetrantes, Christi Evangelium, ac veræ fidei documenta cunctis gentibus nunciare, eidem Ecclesie antemurale constituere, ac pro virili suo tueri, munire, & ampliare non cessant.

Qui Fratres ejus vestigia imitari, & sanctæ Ecclesie multum professe non cessant.

§. 3. In hujus igitur solemnissimæ almi Patris, Seraphicæque Francisci, quem supremus ille paterfamilias, pro multiplicato cum talentis sibi creditis, innumerabiliumque animarum lucro, præclarique virtutibus aliis, corona gloriæ interna claritate magnificat, & quasi lucernam in domo Domini positam, summo devotionis studio censuit a cunctis fidelibus venerari. Cupientes, prout operis & officii nostri debitum esse conspiciamus, propter miræ sanctitatis excellentiam, virtutum suarum cumulum, exigentiam meritum, & hanc Religionem sanctam, ad extirpandas hæreses, schismaticorum, & infidelium confutandos errores, credentium vero profectum, salubriter institutam, quantum nobis ex alto conceditur, venerationem congruam, & honorem adijcere, ac tanto Confessori glorioso pro summis in nos beneficiis, præsertim ab ipsis cunabulis, cum vitalis spiritus in nostro corpusculo palpans extingui protinus videretur ipsius, protinus meritis, & intercessione præstite restituti fuimus sanitati, cum & aliis gratiarum donis, & futurorum præsentium, quæ cordi nostro insident, & memoriæ jugiter retinemus, tum quia diversis temporibus aliis in variis nostris corporis morbis, & humanis casibus constituti, præsidio ipsius B. Francisci, qui nos ad sacram Religionem prædictam, quasi data manu, pro sua pietate vocavit, & ad hanc usque diem, cum hominis utriusque salute, Domino annuente perduxit, adjuti & liberati extitimus.

Pro celebratio-ri igitur S. Francisci festivitate cui se ille Pontifex maxime devotum esse profiteatur.

§. 4. Pro cuius memoria, ejus habitum, & insignia ad extremum usque diem corde jugiter gestare statuimus, etiam pro his acceptis beneficiis possibilem nobis gratitudinem aliquam suam quamvis excellentiæ imparem, pro ejus gloria & honore, animarumque salute, sincero & hilariter animo exhibere, necnon ipsius festivitatis diem celebrem, magisque devotum, & cunctis fidelibus acceptabilem, constituere in futurum; de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum auctoritate confisi, uni-

Festum ipsius præcipue observari, & illud uti de precepto servandis indulgentias largiunt.

universis, & singulis utriusque sexus fidelibus ubilibet constitutis verè poenitentibus & confessis, qui ejusdem gloriosi Confessoris Francisci festivitatem hanc, quam deinceps perpetuis futuris temporibus celebrem esse, ut festum duplex a cunctis Christianis celebrari, ab omnique opere servili abstineri, & sub observantia, & præcepto comprehendimus volumus, & tenore præsentium declaramus, devote celebrantibus annuatim quinquaginta annos, & totidem quadragesimas, de injunctis eis poenitentis relaxamus.

Transumptis hujus bullæ credi jubet.

Dat. P. A. 2. 3. Octobris.

§. 5. Verum quia difficile foret, præfentes literas, cætera prout superius.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, quinto nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno secundo.

V.

Approbatio, & explicatio constitutionis Greg. XI. de auctoritate Cardinalis pro tempore Protectoris Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci.

Eandem approbationem fecit Jul. II. die 15. Octobris, Pontif. sui An. IV. quam uti simpliciter confirmatoriam prætermisi. Et pro ejusdem explicatione convenit alia const. Pauli V. Cum Ordo, ubi notabo. De toto autem Ordine scripti ad constit. Honor. III. Solet.

SIXTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Sancta Minorum Religio, quæ agrum militantis Ecclesie sanctis operibus, & exemplis copiosissime fecundat, & sapientiæ splendore catholicam illustrat Ecclesiam, tanto uberius fructibus fertiliore esse perspicitur, quanto in suo statu quietior permanet, & consistit, & major promptiorque a subditis ejusdem Fratrum Ordinis suis Prælati observantia exhibetur, nullique extrinseci impedimenti perturbationibus agitatur, & molestat, quin in ea caput unicum sit, & esse censetur, a quo omnia dicte religionis negocia, & causæ administrantur, & cui omnes, & singuli dicti Ordinis pareant, & illius subjaceant disciplina.

Greg. xi. auctoritate Protectoris Ordinis S. Francisci præscripti in sua constit. 4. sup.

§. 1. Dudum siquidem fel. recordat. Gregorius Papa Undecimus prædecessor noster, cognito quod nonnulli dicti Ordinis Protectores, dum majorem quam eis ejusdem Ordinis regula conceditur auctoritatem vendicare, ac usurpare sibi ipsis voluerunt, vera subditorum præfati Ordinis ad suos Prælatos obedientia submovebatur; unde perturbationes, inconvenientia multa, inutiles fratrum discursus, & gravia scandala fuerant exorta, in magnam ipsius Ordinis iacturam, præjudicium, &

detrimentum, literas sequentis edidit tenoris.

Omittitur insertio bullæ, quia est sup.

§. 2. Nos autem, cum in minoribus constituti, ipsius Ordinis generalis cura, & administratio incumberet, saluberrimum, opportunum, & necessarium dicto Ordini esse conspeximus, ut Protectores ultra præfixam ab ejusdem Ordinis regula non extenderent. Nam experti sumus, & vidimus, quanta pax, quies, utilitas, quantaq. commoda præfato Ordini, & fratribus ejusdem, ex firma, & inconcussa dictarum literarum observantia, provenerint, quæ, & quæ perturbationes, iacturæ, incommoda, damna, & gravia scandala in dicto Ordine suscitata sunt, quoties dicti Ordinis Protectores suæ auctoritatis limites excedere attentantes, in particularibus dicti Ordinis, & fratrum ejusdem causis, & negotiis se intromittere, & usurpata sibi auctoritate, ea videre, cognoscere, judicare, & discernere voluerunt. Cupientes, ut Religio, & Ordo præfatus quem affectuosissima charitate complectimur, utpote, quod in eo a teneris annis enutriti, & doctrina, ac regularibus disciplinis, & moribus instituti fuimus, ac uti firma fide tenemus, certissimiq. in nobis experimentis didicimus, ad officia, & dignitates ad quas in minoribus promoti sumus, & ad hunc Summi Pontificatus apicem, meritis, & precibus Seraphici illius Patriarchæ Francisci, ejusdem Ordinis Patris, & fundatoris, proveci fuimus, quieto consistens statu, virtutibus, & meritis augetur, & multiplicetur, & fidei Catholica, & Christianæ Republicæ augmentum, & multiplex ac solidum fundamentum, ex ejusdem Ordinis fratrum operibus, & prædicationibus proveniant, promptissimo, & liberali animo, ut dignum censemus, & debitum, ea quæ pro ipsius Ordinis quiete, pace, tranquillitate & prosperitate, a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris provide statuta, & ordinata sunt, ut illibata perdurent, nostræ approbationis munimine solidamus, interpretamur, & declaramus, prout ipsius Ordinis tranquillitati conspiciamus salubriter expedire.

Hic igitur P. qui d. Ordinis extitit Minister generalis, observantia d. bullæ Greg. xi. utilem esse cognovit.

Eandem igitur constit. approbat.

§. 3. Ut igitur de cetero ipsius Ordinis Professoribus omnis evagandi extra religionem occasio tollatur, et vera suis Prælati obedientia, in qua ipsius Religionis verus, et solidum firmamentum, et robur consistit exhibeatur, præfati Ordinis, et fratrum ejusdem negocia, et causæ non alibi, neque per alios quam in ipso Ordine, et ipsius Prælatos tractentur, agitentur, judicentur, et determinentur, dilecti Filii Zanetti de Utino Generalis dicti Ordinis Ministri, et totius Generalis Capituli, in hac parte supplicationibus inclinati, inhibitionem, et literas prædictas prædecessoris præfati, auctoritate Apostolica, præsentium tenore approbamus, et robur perpetuæ firmitatis obtinere decernimus.

§. 4. Et

1472. Declarat quodque, & re-
frangit.

§. 4. Et per eas Protectori prefato, qui in tempore erit, nisi in illis casibus, et articulis in regula dictorum fratrum expressis, et prefati predecessoris literis declaratis, neque in illis dum non universi, sed aliqui ipsius Ordinis professores in quovis numero a fidei unitate, et sacrosanctae Romanae Ecclesiae obedientia deviant, vel regulam prefatam non servarent, se de eorumdem deviantium, et non observantium regulam, correctione, aut reductione, ac aliis quibilibet causis, et negociis dicti Ordinis se impediatur, inhibitu fore, dicta auctoritate decernimus, et declaramus.

Protectoremque pro tempore ad Ordinis praeservationem hortatur.

§. 5. Hortamurque illum qui ad officium protectionis huiusmodi (quod in presentiam per obitum bonae memoriae Bassationis Episcopi Sabiniensis dicti Ordinis olim Protectoris nuper vita functi vacat) assumi, et deputari contigerit: et ipsius successores dicti Ordinis Protectores, ac eis in virtute sanctae obedientiae districte precipiendo inhibemus, ne extra predictos articulos, et casus in regula predicta contentos, et expressos, nec etiam in illis (cum non universus Ordo, sed aliqua ipsius pars, et specialis persona erraret) ipsorum fratrum querelas audire, seu de ipsorum causis, et negotiis contra literas, et declarationes huiusmodi introumittere se quoquomodo praesumant. Sed eurent (uti est eorum proprium officium, et prefati sancti Francisci, et Apostolicae Sedis intentio extitit) ipsum Ordinem in quieto, tranquillo, et pacifico statu conservare, et augere, et ab impugnantibus, molestantibus, et perturbantibus defendere, et tueri, ne secus agendo, Ordinem prefatum non solum non protegant, conservent et exalant ut tenentur, sed in animarum suarum perniciem, et dicti Ordinis detrimentum, et scandalum, confundant, et destruant.

D. P. An. 21. 28. Januarii.

Nulli ergo, &c.
Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, quinto Kalend. Februarii, Pontificatus nostri Anno II.

V I.

Approbatio Congregationis Fratrum Eremitarum Sancti Francisci de Paula, cum exemptionum, et gratiarum largitione.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Dilectis Filiis Fratri Francisco de Paula, ceterisque Fratribus Eremitis Eremitarii, seu Oratorii Sancti Francisci de Paula, Consentiniensis Diocesis, presentibus, & futuris, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Praemium.

§. 1. Edes Apostolica aequa in omnibus semper distributrix, ea, quae pro divini cultus augmento, ac piorum locorum, &

personarum, praesertim sub humili, & religioso habitu in eis degentium commodo, & utilitate pie facta sunt, ut illibata persistant, libenter, cum ab ea petitur, Apostolici muniminis consuevit adiacere firmitatem, ac benigno favore ea, quae sunt pro animarum salute concedere; illisque ut eo devotius, quo quietius Altissimo famulari possint, suae protectionis munimen impartiri.

§. 1. Dudum siquidem pro parte Francisci nobis exposito, quod olim postquam venerabilis frater noster Pyrrhus Archiepiscopus Consentinus, tibi, ut quoddam Oratorium, sive Ecclesiam sub vocabulo S. Francisci, in tenimento de Paula Consentinae Diocesis edificare posses, licentiam concesserat: tuque Oratorium huiusmodi propriis manibus, & expensis cum dormitorio, pro tuis, & sociorum tuorum usu, & habitatione, pro magna parte edificaveras, & nonnullos socios vitam eremiticam ducentes receperas, ipseque Archiepiscopus praedictum Oratorium, sive Ecclesiam una cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, tibi tuaeque Congregationi in perpetuum donaverat; & nonnulla alia tuae, & sociorum tuorum devotioni, & saluti convenientia, salutifera, & opportuna concesserat, fecerat, & ordinaverat. Quodque Oratorium, sive Eremitarium praedictum adhuc pro sufficienti habitatione tua, & Eremitarum praedictorum perfectum omnino non erat, illudque piis Christianis elemosynis cum dormitorio, & aliis necessariis officinis, tu, ac Eremitae tui socii huiusmodi continue edificabatis, ampliabatis, & exornabatis.

Archiepiscopus Consentinus B. Franciscus de Paula licentiam concessit.

§. 2. Nos tunc, tuis, & Eremitarum praedictorum in ea parte supplicationibus inclinati, venerabili Fratri nostro Episcopo S. Marci, ejus proprio nomine non expresso, per alias nostras literas dedimus in mandatis, ut si, & postquam, vocatis qui forent evocandi, de praemissis sibi legitime constaret, concessionem, & literas dicti Archiepiscopi, ac omnia, & singula in ipsis literis contenta, prout ea concernebant, auctoritate Apostolica approbare, & confirmaret, suppleretque omnes, & singulos defectus, si qui forsan intervenissent in eisdem: & in eventum approbationis, confirmationis, & suppletionis huiusmodi, vobis praedictis Eremitis, ut omnibus, & singulis privilegiis, indulgentiis, & gratiis, quibus Frater Petrus de Pisis nuncupatus, ceterique Eremitae potiebantur, & gaudebant, uti, & gaudere pariformiter, & absque ulla differentia, libere & licite possidetis, & valeritis, concessimus; prout in eisdem nostris literis desuper confectis plenius continetur.

Hic Pont. com. missi Episcopo S. Marci, ut concessionem confirmaret, & Eremitarum privilegia huic Ordini concederet.

§. 3. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, Venerabilis Frater noster Goffredus Episcopus S. Marci praedictus, ad executionem praedictarum nostrarum literarum, illarum forma servata, procedens (quia sibi vocatis vocandis, de a nobis expositis legitime constiterat) licentiam, donationem, &

Qui Episcopus d. concessione confirmavit.

1474.

concessionem, ordinationem, & literas Archiepiscopi praedicti, omniaque, & singula in eis contenta, prout ea concernunt, auctoritate Apostolica approbaverit, & confirmaverit, suppleveritque omnes, & singulos defectus, qui intervenerunt in eisdem, prout in quodam publico instrumento desuper confecto dicitur plenius contineri.

Supradictus Archiepiscopus Consentinus exemptionem a jurisdictione sua largitus est.

§. 4. Quodque Pyrrhus Archiepiscopus praedictus, inter alia per eum vobis tunc concessa, praedictum Eremitarium sive Ecclesiam S. Francisci, & alia quaecumque loca, Ecclesias, & Oratoria, per vos in posterum recipienda cum omnibus iuribus, & pertinentiis, Eremitisque, & personis inibi pro tempore degentibus, ac rebus omnibus ad vos, locaque vestra quomodolibet pertinentibus, & spectantibus ab omni jurisdictione, subiectione, & superioritate matrum Ecclesiarum, ac sua, suaeque Ecclesiae Consentinae ceterarumque personarum in perpetuum exemit, & liberavit, ac sub protectione, submissione, & jurisdictione Sedis Apostolicae, specialiter, & expresse remisit, & relaxaverit.

Et B. Franciscum superiorem cum omnimoda facultate d. Congregationis Eremitarum elegit.

§. 5. Et sicut eadem petitio subiungebat, a nonnullis asseritur, nostras praebatas literas, ac confirmationem, approbationem, & defectuum suppletionem, ceteraque omnia alia, & singula per praedictum Goffredum Episcopum S. Marci illarum vigore facta, & inde secuta quaecumque iuribus non subsistere, pro eo quod Archiepiscopus praedictus per suas praedictas literas te Fratrem Franciscum in superiorem huiusmodi tuae Congregationis Patrem, Rectorem, & Priorem, seu quovis alio nomine nuncupandum dederit, & deputaverit, cui Congregationi praesides, ac vita, & exemplis profuisses, tuisque monitis, mandatis, & praecipis salubribus omnes Congregationis huiusmodi personae obedire, & parere deberent: Ipsique tuis Eremitis Fratribus facultatem concessit te in suum superiorem, & priorem, ac una tecum alios quoscumque superiores, & priores, & officiales canonicè eligendi. Necnon Statuta, & ordinationes pro huiusmodi vitae observantia, a iure tamen divino, & Sanctorum Patrum institutionibus non deviantia faciendi: Tibique, & huiusmodi officialibus omnimodam jurisdictionem ordinariam, in spiritualibus, & temporalibus Congregationis huiusmodi personarum, etiam si Sacerdotali, seu quavis alia praesulgerent dignitate, ac locorum jurisdictiones, animalium, & rerum omnium ad te, tuamque Congregationem quomodolibet spectantium, & pertinentium. Quoscumque quoque rebelles, & inobedientes, omniumque huiusmodi Congregationis personarum delinquentium, peccata, & delicta, & cuiuscumque generis maleficia, & crimina, prout juris foret, puniendi, huiusmodique delinquentes incarcerandi, disciplinandi, condemnandi, liberandi, absolventi, ceteraque faciendi, quae in praemissis, & circa praemissa vobis viderentur fore necessaria, & opportuna, & quae ipsemet Archiepiscopus facere possit.

tuna, & quae ipsemet Archiepiscopus facere possit.

§. 6. Sacerdotibus vero huiusmodi Congregationis, seu secularibus, vel regularibus per vos eligendis, missas etiam ante diem, et in quocumque loco ad hoc congruo, et honesto cum altari portatili celebrandi. Eucharistiam, et alia quaecumque Ecclesiastica sacramenta, libere, et licite tibi, huiusmodique Congregationis personis, quoties devotio ingrueret, et necessitas postulare, absque quacumque superioris licentia ministrandi, ad quae suscipienda extra loca huiusmodi compelli non possitis.

Dat auctoritatem celebrandi missam ante diem &c.

§. 7. Confessiones audiendi, et ab omnibus casibus, excommunicationibus, suspensionibus, et interdictis, ac super quacumque irregularitate, eidem Archiepiscopo, tam a iure, quam ab eo reservatis, et praemissis toties, quoties opus foret, et esset, absolventi, et dispensandi, votaque quaecumque permutandi, et relaxandi, ac poenitentiam salutarem injungendi.

Confessiones audiendi.

§. 8. Loca, Oratoria quaecumque, et Ecclesias licite accipiendi, et retinendi, quaecumque etiam personas Ecclesiasticas, et saeculares ad vos venientes, et vobiscum moram trahere, et habitum quem geritis, profiteri, et recipere volentes, ad habitum, et professionem observantiae castitatis, paupertatis, et obedientiae, acceptandi, et recipiendi.

Loca alia recipiendi.

§. 9. Necnon ut omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, quibus Fratres S. Francisci, ceterique Mendicantes fruantur, et utuntur, frui, et uti possitis, et valeritis, ac possitis, et valerent, indullit, ac vobiscum super his opportune dispensavit.

Privilegia Mendicantium concedit.

§. 10. Huiusmodique Oratorium, sive Ecclesiam Sancti Francisci de Paula, ac alia quaecumque loca, Oratoria, et Ecclesias per vos in posterum acquirenda, et acceptanda, cum omnibus iuribus, et pertinentiis suis, Eremitisque, et personis, ac rebus omnibus, et singulis ad vos, vestraque loca quomodolibet spectantibus, et pertinentibus, personisque huiusmodi inibi pro tempore degentibus ab omni jurisdictione, subiectione, superioritate matrum Ecclesiarum, ac sua, suaeque Ecclesiae Consentinae ceterarumque personarum ex certa sua scientia, et motu proprio in perpetuum exemit, et totaliter liberavit.

Exemptiones ab Ordinariis. Attendit. Con. Sess. 7. cap. 14.

§. 11. Ac sub protectione, submissione, jurisdictione, et superioritate Sedis Apostolicae praedictae totaliter, specialiter, singulariter, et expresse remisit, et relaxavit, prout in literis dicti Archiepiscopi plenius continetur.

Sedis Apostolicae protectioni submittit.

§. 12. Et de eisdem nihilominus concessionibus, gratiis, & indultis vobis, sic ut praemittitur, per praedictum Archiepiscopum concessis, in dictis aliis nostris literis specialiter, & singulariter mentio facta non fuerat, sed sub clausula generali dumtaxat, videlicet dicendo. Nonnulla

Declaratio alterius Bullae Sixti IV. hac super re.

alia vestre devotioni, & saluti convenientia; salutifera, & opportuna, Et similiter sub eadem clausula, & non facta alia expressione per dictum Goffredum Episcopum sancti Marci, predicta omnia, & singula approbata, & cum suppletionem defectuum, confirmata fuerant, prout in nostris, ac dicti Archiepiscopi literis, ac instrumento publico desuper confecto plenius continetur.

§. 13. Pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut omnia, & singula premissa, concessiones, gratias, & indulta vobis per Archiepiscopum predictum, concessa, facta, & indulta; necnon approbationem, confirmationem, defectuumque suppletionem, ceteraque omnia, & singula per predictum Goffredum Episcopum, vigore nostrarum literarum predictarum, desuper facta, & inde secuta quacumque, rata, & grata habentes, approbare, confirmare, ac omnes, & singulos defectus qui intervenerunt in eisdem supplere, ac alias in premissis, & circa ea vobis de opportuno remedio providere, de benignitate Apostolica dignemur.

§. 14. Nos igitur vestris in hac parte supplicationibus inclinati, donationem, concessionem, ordinationem, constitutionem, remissionem, relaxationem, indulta, gratias, et literas predicti Archiepiscopi, omniaque, et singula in eis contenta, nostras alias, ac dicti Archiepiscopi literas, ac approbationem, confirmationem, et defectuum suppletionem per predictum, Goffredum Episcopum factas, ac processum desuper habitos, et inde secuta quacumque omniaque, et singula, que in predictis nostris, et prenominati Archiepiscopi literis, et processibus, et instrumentis publicis desuper habitis contenta, pro sufficienter expressis, ac si de verbo ad verbum presentibus infererentur, rataque, et grata habentes, auctoritate Apostolica, ac ex certa nostra scientia laudamus, approbamus, et confirmamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, supplemusque omnes, et singulos defectus qui intervenerunt in eisdem, decernentes nostras predictas literas, ac processum desuper habitos, et inde secuta quacumque, valere, ac roboris firmitatem tenere, perinde ac si omnia, et singula vobis per predictum Pyrrhum Archiepiscopum concessa, et ipsius Archiepiscopi literis contenta, in sepe nominatis nostris literis specialiter, et singulariter narrata, et expressa fuissent.

§. 15. Et insuper, vos, et vestrum quemlibet, ac Eremitarium, sive Ecclesiam sancti Francisci de Paula predictam, ceteraque omnia, et singula Eremitaria, Ecclesias, et loca per vos in quibuscumque Civitatibus, et Diocesis ubilibet hactenus recepta, et in posterum recipienda cum omnibus iuribus, et pertinentiis suis, Eremitarum, et personarum in illis pro tempore degentes, ac res, et bona quacumque mobilia, et immobilia ad vos, et Eremitas, et personas, ac vestrum quemlibet, ac loca Eremitaria, et Ecclesias huiusmodi quo-

modolibet communiter, vel divisim, spectantia, et pertinentia, ab omni jurisdictione, dominio, potestate, visitatione, correctione, et superioritate predicti, ac pro tempore existentis Archiepiscopi Consentini, et aliorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Ordinariorum Judicum, & Superiorum quorumcumque etiam illorum, in quorum jurisdictione, civitatibus, & diocesis Eremitaria, loca, Ecclesie, vos, & Eremitas, ac personarum, res, & bona huiusmodi consistunt, & consistere poterunt quomodolibet in futurum, auctoritate, & scientia predictis de speciali gratia tenore presentium prorsus eximimus, & totaliter etiam liberamus, ac sub beati Petri, & Sedis memorata, ac Romanæ Ecclesie, & nostra protectione suscipimus ac exempta, & immunitate esse volumus, nobisque, & successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, ac dicte Sedi immediate subiacere. Ita quod Archiepiscopi, Episcopi, Ordinarii, Judices supradicti, ratione delicti, vel contractus, aut rei de qua ageretur, ubicumque committatur delictum, vel incurratur contractus, aut res ipsa consistat, nullam in vobis, ac Eremitariis, locis, & Ecclesiis, Eremitis, & personis huiusmodi, ac rebus, & bonis predictis jurisdictionem, potestatem, & dominium possint quomodolibet exercere, sed dumtaxat coram dicta Sede, vel eius Legatis, vos, & Eremitas, ac alia personarum in locis, Ecclesiis, & Eremitariis huiusmodi pro tempore degentes teneamini de iustitia respondere.

§. 16. Et insuper vobis omnibus, & Eremitis, ac personis, locis, Ecclesiis, ac Eremitariis huiusmodi, ut omnibus, & singulis privilegiis, indulgentiis, concessionibus, gratis, indultis, ceterisque omnibus, & singulis in presentibus, & aliis nostris, ac ipsius Consentini Archiepiscopi literis sepedictis, ac per eas habitis processibus predictis contentis, vobis, ac Eremitariis, Ecclesiis, & locis huiusmodi concessis, & concedendis, in quacumque Civitate, & Diocesi, ac ubique, & in quocumque loco, auctoritate Apostolica, predicta uti, & gaudere, eaque omnia, & singula in huiusmodi nostris ac aliis, & predicti Archiepiscopi prenominati, literis, & processibus desuper habitis contenta, cuiusvis superioris super his, aut aliquo premissorum licentia minime requisita, ac quibuscumque etiam contradictionibus, exceptionibus, & impedimentis remotis, predicta auctoritate Apostolica, libere, & licite exercere possitis, & valeatis. Quæ etiam omnia, & singula in presentibus, & aliis nostris, ac dicti Archiepiscopi literis sepe dictis, ac processibus desuper habitis contenta, auctoritate, & scientia predicta de speciali dono gratie concedimus, & indulgemus per presentes.

§. 17. Fel. rec. Innocentii Papa IV. predecessoris nostri contra exemptos, quæ incipit. Volentes, & qualibet alia constitutione Apostolica contraria non obstante.

§. 18. De-

B. Franciscus & alii deo Papa pro opportuna provisione supplent.

Qui supradicta omnia confirmat omnesque defectus supplet.

Exemptionem quoque bonarum, & personarum a superioritate quorumcumque concedit.

Quoad jurisdictionem Ordinariorum. Vide Concilium Tridentinum. Sessio 7. cap. 14.

Et extendit dicta indulta ad omnia loca Ordinis.

Contraria tollit.

Dat. P. A. 3. 27. Maii.

§. 18. Decernimus quoque ex nunc, omnes, & singulas excommunicationum, suspensionum, & interdicti, aliasque Ecclesiasticas sententias, censuras, & poenas, ac processus, quos, & quas contra vos, & Eremitas, ac personas, Ecclesias, Eremitaria, & loca huiusmodi, & vestrum quemlibet promulgari contigerit, vel haberi, irritas, & irritas, & inanes, ac nullius existere firmitatis, vel momenti.

Nulli ergo, &c.
Si quis autem, &c.
Datum Romæ, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, sexto Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno III.

VII.

Amplissima gratiæ, & privilegia Fratrum Minorum Conventualium Ordinis Sancti Francisci, quæ propterea Mare magnum nuncupantur.

SIXTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Regimini universalis Ecclesie meritis licet insufficientibus disponente Domino præsentibus, curis perurgemur assiduus, ut iuxta creditæ nobis desuper dispensationis officium, quieti subditorum quorumlibet præsertim sub Religionis habitu, studio vacantium pie vitæ, in quorum atique prosperitate rescimur, jugi quantum nobis ex alto conceditur sollicitudinis studio intendamus, & ut ea que pro divini cultus, dicte Religionis incremento, animarumque salute a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus provide facta sunt, sublati ambiguitatibus quæ exinde emerisissent noscuntur, in sua integritate persistant, nostri ministerii partes interponimus efficaces. Dudum squidem a se: re: Eugenio Papa Quarto predecessore nostro, litteræ emanaverunt tenoris sequentis, videlicet.

§. 1. Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Licet debitum pastoralis officii, &c.

Omissa tur hæc bulla, quia est simplex confirmatoria Bulla Clem. IV.

§. 2. Clemens Episcopus, &c. Virtute conspicuos, &c. Tom. III. fol. 433.

§. 3. Nos igitur qui dicti Ordinis Fratrum Minorum, in quo Generalis Ministri fungebamur officio dum ad Cardinalatus honorem assumpti fuimus, & personarum ejus statum prosperum, & tranquillum, propter uberes fructus quos Ordo ipse multa resurgens gloria meritorum, & gratia redolens sapientis in agro militantis Ecclesie, in propagatione Religionis, & fidei orthodoxe hactenus produxit utiliter, & producit, ac in futurum producturum fore spe firma tenemus, palmites suos a Tom. III. Par. III.

Eug. IV. edidit confirmantem bullam Clem. IV.

Hic Pont. est confirmat.

mare usque ad mare, & etiam ad barbaras extendendo nationes, intentis desideramus affectibus, Clementis, & Eugenii predictorum, ac aliorum predecessorum nostrorum, qui Ordinem predictum Fratrum Minorum, aliis variis privilegiis non immerito decorarunt, vestigiis inherentes, Motu proprio non ad eorum dicti Ordinis Fratrum Minorum professorum, vel alterius pro eis nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed de nostra mera voluntate, & deliberatione, ac ex certa scientia nostra, Clementis, & quascumque alias quorumcumque Romanorum Pontificum predecessorum nostrorum literas, dicto Ordini Fratrum Minorum, & illius domibus, & professoribus in genere, sub quacumque verborum forma concessas, quas ac si de verbo ad verbum, una cum predictis literis Eugenii predecessoris prefati, presentibus insertæ forent, haberi volumus pro expressis, ac omnia, & singula in illis contenta, auctoritate Apostolica, tenore presentium approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus, & pro potiori cautela, omnia, & singula per Clementis, & Eugenii, aliosque predecessores nostros predictos in eisdem literis, pro, & in favorem dicti Ordinis Fratrum Minorum quomodolibet ordinata, statuta, decreta, concessa, & indulta fieri, & servari debere, auctoritate, & scientia predictis de novo ordinamus, statuimus, atque decernimus, ac eidem Ordini Minorum illiusque domibus, & professoribus concedimus, & indulgemus.

§. 4. Et quia sicut accepimus, nosque ipsi experientia didicimus in minoribus constituti prefati Ordinis curam gerentes, circa literas, & privilegia huiusmodi nonnulla dubia postmodum sunt exorta, habita super illis consideratione decenti, motu, auctoritate, & scientia similibus, litteras ejusdem Clementis predecessoris, in ea parte in qua concedit dicti Ordinis professoribus, ut liceat eis in locis in quibus degunt habere oratoria, & in eis cum altari portatili etiam tempore interdicti, januis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, missarum solemnias, & alia divina officia celebrare; & quod eorum instantes obsequiis, censuris generaliter promulgatis non ligentur, quum contingat eos per sepe requiri, ut etiam extra oratoria super huiusmodi altari portatili celebrent divina officia, & ad illa interdicti tempore, Tertii Ordinis Sancti Francisci de Poenitentia nuncupati fratres, & sorores, ac suos, & illorum procuratores admittant extendentes. Concedimus eisdem fratribus, ut non solum in oratoriis, & locis in quibus degunt, sed etiam in quovis alio loco congruenti, & honesto, possint super altari portatili ejusmodi, missas, & alia divina officia libere, & licite celebrare, exceptis Ecclesiis ab Ordinariis jurisdictione non exemptis, quoties id eisdem fratribus per Ordinarios ex causa contigerit inhiberi. Et ut liceat eis tertii Or-

Amplissimi privilegii celebrandi tempore interdicti, & cum altari portatili. Tu vide Concilium Tridentinum. Sessio 25. cap. 14.